Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8381
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

difficile sunt agnoscere in hoc mundo fideliter deo famulos et aliquos remansisse. Sed hunc sollerter intuendum est oculos cordis elatio quam neque claudat quia quos humiles et occultos deus noverat elatus et apta nesciebat

In libro Iob ii. Et in capitulo xxiiii

Vidi dominum sedentem super solium excelsum et exercitum celi a dextris et sinistris eius et dictum est in quo decipiam achab et ascendet et cadat in ramoth et dixit alius ita et alius aliter

Dum per occultum divine distributionis ordinem de electorum atque reproborum spirituum misteriis tractatur adiunctum est: Vidi dominum sedentem super solium excelsum et exercitum a dextris et a sinistris eius. Et dictum est: In quo decipiam achab et ascendet et cadat in ramoth galaad. Et dixit alius ita et alius aliter. Et egressus spiritus unus dixit: Ego decipiam achab. Et dictum est: In quo decipies? Qui respondit: Egrediar et ero mendax spiritus in ore omnium prophetarum eius. Quid per solium domini nisi angelicas potestates accipimus quarum mentibus altius presidens inferius cuncta disponit. Et quid exercitus celi nisi ministrantium angelorum multitudo describitur. Quid est ergo quod exercitus celi a dextris et a sinistris eius stare perhibetur. Deus enim qui ita est intra omnia ut extra sit extra omnia nec dexteram nec sinistram concluditur. Sed dextra dei angelorum pars electa, sinistra autem dei pars angelorum reproba designatur. Non enim ministrat deo solummodo boni qui adiuvent sed etiam mali qui probent. Non solum qui a culpa redeuntes sublevent sed etiam qui redire nolentes gravent. Nec quia celi exercitus dicitur angelorum pars reproba in eo intelligi posse prohibetur. Quas enim suspendi in aere novimus aves celi nominamus. Et de eisdem spiritibus paulus dicit: Contra spiritualia nequitie in celestibus. Quorum caput enuncians ait: Secundum principem potestatis aeris huius. Ad dexteram ergo dei et sinistram angelorum pars exercitus stat quia et voluntas electorum spirituum divine pietati concordat et reproborum sensus illic malicie servientes iudicio ~~...~~ districtionis eius obtemperant. Unde et mox fallax spiritus in medium prosiluisse describitur per quem achab rex exigentibus suis meritis deciperetur. Neque enim fas est credere bonum spiritum fallacie deservire voluisse ut diceret: Egrediar et ero mendax spiritus in ore omnium prophetarum eius. Sed quia achab rex precedentibus peccatis dignus erat ut tali debuisset deceptione dampnari, quatinus qui sepe volens ceciderat in culpa quandoque nolens caperetur ad penam, occulta iustitia licentia malignis spiritibus datur ut